

B R E V E

AD FAVOREM BIBLIOTHECARUM.

CLEMENS PAPA XI.

AD FUTURAM REI MEMORIAM.

CONSERVATIONI, & mantentioni librorum Bibliothecarum Domorum Regularium Fratrum Ordinis Sancti Augustini Discalceatorum nuncupatorum Congregationis Portugalliae, quantum cum Domino possumus benignè consulere, ac Dilectum filium modernum Procuratorem Generalem in Romana Curia dictae Congregationis specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis censuris, & poenis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ne de cetero quisquam, sive secularis, sive cujusvis Ordinis Regularis etiam auctoritate officio, & superioritate fungens, Libros, Quinterna, Folia sive impressa, sive manuscripta, tam haecenus dictis Bibliothecis donata, comparata, & assignata, quam in posterum donanda, comparanda, & assignanda sub quovis praetextu, ingenio, causa, colore, ratione, aut occasione è Domibus Regularibus, & saecularibus, quacumque auctoritate fungentibus commodare, donare, vel alio quovis modo distrahere, & alienare, seu ut extrahantur, & asportentur, aut commodentur, donentur, distrahantur, & alienentur permittere, aut consentire audeat, seu praesumat sub excommunicationis, ac privationis vocis activae, & passivae poenis per contrasacientes eo ipso incurrendis Apostolica auctoritate tenore praesentium interdicimus, & prohibemus. Permittentes tamen Superioribus dictarum Domorum Regularium pro tempore existentibus, ut de licentia De-

fni-

11. 15

29

fnitorii Generalis, vel annualis prædictæ Congregationis aliquos ex libris prædictis Fratribus ejusdem Congregationis, etiam in aliis Domibus commorantibus, cum cautelis tamen necessariis, ac Inventario à Prioribus, & Discretis suarum respectivè Domorum subscribendis ad tempus determinatum commodari possint, quo elapso ad suas quasque Domos reportari, suisque Bibliothecis restitui sub eisdem pœnis debeant: Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Domorum, & Ordinum prædictorum, etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate aliàs roboratis statutis, & consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod præsentis prohibitionis copia in valvis cujuslibet dictarum Bibliothecarum, vel alio conspicuo loco, quo ab omnibus cerni possit continuo affixa remaneat; quodque præsentium transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, vel Procuratoris Generalis Congregationis hujusmodi munitis eadem fides ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem sub Anulo Piscatoris die xxiii. Januarii M. DCC. XXI. Pontificatus Nostri anno vigesimo primo. = F. Card. Oliverius. =

Concordat cum suo originali.

Joannes Dom. cas Manitto, Publicus Not. Apost. cas

Fr. Emmanuel à S. Elisabeth, Procurator Generalis.

